



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 56. Ejusdem sententia circa quæstionem: an idem sub una, quam sub duabus speciebus recipiantur?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](#)

,carnis, & potus Sanguinis, interdum Sæcul. XVI.  
„solus efsus carnis memoratur.,, A.C. 1562.

## §. LVI.

*Eiusdem sententia circa quæstionem:*

An idem sub una, quam sub  
duabus speciebus re-  
cipiatur?

In quarto articulo, qui secundus erat  
inter dogmaticos, nimirum, *num*  
*idem*, *an minus sumatur sub una specie,*  
*quam sub utraque*, Salmeron primum  
tanquam minime dubium affirmabat,  
eoquod Christus integer contineatur sub  
utraque seorsim specie cum anima, &  
Divinitate sua, sicuti est in Cœlo, id-  
que fuisse definitum declarabat in Con-  
ciliis Constantiensi, & Florentino, at-  
que idem confirmari ajebat ab usu Ec-  
clesiae, quæ fidelibus adorandum pro-  
ponit hoc Sacramentum sub sola panis  
specie: an vero Eucharistiam sub una  
specie sumens tantum gratiæ, quantum  
sub utraque illam accipiens recipiat,  
ad hunc articulum non pertinere ajebat;  
cum extra controversiam sit, quod tan-  
tum contineatur, ac significetur in una  
solum hostia, quantum in multis, nec  
idcirco tantum gratiæ recipiatur in  
unica hostiæ sumptione, quam in mul-  
tis: quapropter ostendebat, quod pro-

H 4 pen-

Sæcul. XVI  
A.C. 1562.

pendeat in eam Sententiam, quæ dicit, gratiam in utroque casu æqualem esse; porro id ipsum conatus est multis rationibus persuadere, atque præprimis inquietabat, quod ea de re Patres, ac Concilia, quia hanc rem tanquam certam supponebant, non loquerentur, neque Ecclesia negatura fuisset Calicem non celebrantibus, si cum eo simul oportuisset aliquod incrementum gratiæ ipfis afferri.

De secundo articulo, *num usus Calicis cuilibet sit permittendus*, Salmeron respondit, id relinquì arbitrio Ecclesiæ, cuius esset accurato examine hujus rei commoda, & detrimenta utrinque pendere: porro hæc sedulo ponderanda sibi videri ajebat, plurimis de caussis, quas etiam enumerabat: nos autem de iis postea mentionem faciemus, cum sermo erit de arctioribus ad hoc statuendum consiliis. Hoc stabilito nihil circa tertium articulum dicendum supererat de conditionibus præscribendis, sub quibus calicis usus indulgeretur. De quinto, ac postremo articulo: *an lege Divina necessarium foret infantibus etiam Eucharistiam tradere*, suam mentem non exposuit Salmeron, sed hanc quæstionem aliorum Theologorum examini, ac discussioni reliquit.

§. LVII.